

MISAE

TOI

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio vigesima Septima,

De

ADVENTU MAGO-

RUM ET CULTU AB
EIS PRÆSTITO.

Quam

Annunte, Θεωρηώπω

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum
proponit.*

M. JOHANNES CONRING
FRISIUS.

*Habebitur ad diem 19. Junij, horis
pomeridianis*

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ

JOHANNES Gormann excudebat,

Anno cl. 15. CXIX.

CHRISTO SACRIS

Disputatio vigesima septima

ADVENTU MAGO.

ARM ET ORITU AB

ER PRAESTITO.

Quarta

Disputatio vigesima

SEPTIMA

Dr. BALTHASARIS FISCHERI

S. S. THEOL. D. P.

In praesentia Collegii ad hunc usum

publici

M. JOHANNES CONRING

PRaesens

Institutionum in usum

publici

In Auditorio

WITTEBERGAE

JOHANNES GOMMELIUS

Anno MDCLXXIX



T H E S I S I.

Dominus & Salvator noster omnibus quidem natus est, unus propter omnes natus est, sed non ab omnibus susceptus est, non ab omnibus intellectus: intellectus est à gentibus, non intellectus est à Judæis, agnitus est ab Ecclesia, non est agnitus à Synagoga, *Homil. in Epiph. Do-*
inquit B. Chrysostomus. Quo pacto pro omnibus
 & natus & circumcissus, precedentibus disputationibus satis declaratum est: quo pacto vero non
 ab omnibus susceptus & intellectus sit, præsens historia, fides nobis facit, in quâ à Magis ut DEVS honoratur & adoratur, ab Herode & iudeis negligitur & despicitur: Magorum illuminatio
 magnum testimonium existit cœcitas Judæorum, in terra eorum isti requirebant, quem illi in sua non agnoscebant: apud eos isti infantem invenerunt, quem illi apud se negarunt.

Homil. in Epiph. Do-

August ser. 2. de Epiph.

II. In horum memoriam hodierna Ecclesia festum Epiphaniæ solenni recordatione non immeritò prosequitur, quod quidem prima Ecclesiæ infantia incognitum fuit, paulatim verò ejus appellatio ex ritibus paganorum pio proposito in Ecclesiasticam observationem est introducta, ut multis probat contra Baronium Casaubonus, & ex Diodoro Siculo atq; alijs observat, *Exer. 2. §. II.*
 Ἰν. Οὐρανίου
 ipsis dictas quaslibet numinis divini apparitiones, inq; harum memoriam festos sæpe dies coluisse,

quos à re dixerint τὰ Ἰησοῦ γενere neutro,
non feminino.

Tom 1. an-
nal. an. 1.
num. 26.
2. Tim. 1, 10.
hom. in na-
tiv. Domi-
ni.
I II. Ad hujus imitationem vetus Ecclesia Græca
non diem adventus Magorum, ut hodie creditur,
& probare conatur Baronius, sed nativitatìs do-
minicæ τὰ Ἰησοῦ vocavit, sine dubio exinde
quod Paulus ipsam nativitatem Ἰησοῦ ἀπο-
pellet; cui solennitati sextus dies Januarij est di-
ctus, in quem etiam multa Ecclesiæ natalem Do-
mini olim retulerunt, ut autor est Chrysof. post-
ea tamen à Romanâ edoctæ 25. Decembr. nativi-
tati Christi sacrum unâ celebrare constituerunt.

Chrysof.
hom. in na-
tiv. Domi-
ni, & de
baptism.
Christi.
I V. Et quamvis appellationem retinuerunt, cau-
sam tamen ejus memoriam baptismi Christi sub-
stituerunt, nec non adventus Magorum. August.
verò ser. 1. in Epiph. quatuor huic festo adscribit
miracula, adventus Magorum, baptismi Christi,
conversionis aquæ in vinum, & miraculum quinque
panum.

DE MA-
GIS.
Matth. 2, 1.
V. Hic itaq; prælibatis ad ipsam historiam acces-
sum facimus, in qua primum Magi nobis conside-
randi veniunt: verba enim Evangelistæ eam de-
scribentis sic habent: Cum autem natus esset
Jesus in Bethlehem civitate Judæ, tempo-
ribus Herodis regis, Ecce Magi ab Oriente
accesserunt Hierosolymam.

VI. Triplici autem modo Magos appellatos inve-
nio. i. ij dicti sunt Magi, qui incantationibus arti-
busq; nefarijs à demonibus edocti vacabant, atq;
eo sensu Simon ille Act. 8, 9. & Elymas, Act. 13, 8.

Magi

Magi vocantur, & dubium non est, quin multi
Patres hinc occasionem coeperint, etiam hos, quo-
rum meminit Matthæus, incantates & malefi-
cos indigitare. 2. Apud Herodotum & alios *Aug. ser. 2.*
Magorum nomen non artis aut possessionis, ve- *in Epiph. l.*
rum nationis est, & quæ Mediam olim inhabita- *l. n. 108.*
verit. 3. Magi apud Persas sapientes fuere, seu
Sacerdotes, quorum præcipuum officium erat, sa-
cra eorum curare, & sapientiam profiteri, quales
apud Indos sunt Gymnosophistæ, & Græcos Philo-
sophi: Atq; hos sic proprie appellatos indicat voca-
bu um, quod Persicum esse observarunt linguæ ejus
peritissimi, ac proinde non injuriâ carpuntur, qui,
ut probent eos fuisse natione Arabes, fingunt ex
Arabia quâdam regione venisse, quam Magodiam
vocat Epiphanius, atq; hinc nominis hujus ori-
ginem ductam esse, neq; minus illi erant, qui
Græcam esse vocem contendunt, & à verbo μάγω,
id est, pinso, derivari volunt: sanè Homero & alijs
Græcis antiquioris seculi planè fuisse incognitam
demonstrat Casaubonus Exerc. 2. §. 10.

VII. Ex his ergò cum constet, nomen Magi esse
equivocum, videndum erit de quorum hominum
genere loquatur Evangelista, dicit venisse Magos
ab Oriente, non quasi ab ultimis Orientis finibus
advenerint, verum ex tali regione, quæ Iudæorum
comparatione erat Orientalis: Arabiam verò Iu-
dææ meridionalem esse patet ex Matth. 12, 14.
nbi regina Sabe vocatur regina Austri. Ex Persia *Homil. in*
itaq; regione Iudææ orientali venisse rectè existi- *Matth. 6.*
mat Chrysostr. *A 3* *8 Re-*

Cic. lib. 1.
de divinat.

Neb. 2, 22.

Harm. Ev-
ang. cap. 10.

IIX. Reges an fuerint, prout contendunt Pontificij, nullâ ratione certò potest affirmari. Hoc quidem concedimus non potuisse regem esse Persarum, qui non ante Magorum disciplinam percepisset: nihil tamen inde concluditur, quin potius rectè negamus eos fuisse reges, quod Monarchia Persarum jam dudum defuisset annos ultra trecentos: ultimus enim eorum rex in sacris nominatur Darius Codomanus alias dictus, à quo regnum ad Alexandrum Magnum ejusq; successores translatum est. Probabile tamen est, eos non fuisse obscuros aut vilis conditionis homines, quemadmodum ex muneribus colligit Dn. Chemnitius, sed aut regulos aut toparchas ditioris Persicæ, qui tunc temporis Parthorum regi parebant, ut ait alicubi Strabo.

IX. Hoc ut probabiliter potest afferri, sic affirmare ita esse, temerarium valde est, non minus sanè quàm pertendere tres tantum fuisse Magos non plures, nec pauciores. Cum enim de his nihil prodât scriptura, malumus sententiam nostram ἐπι-
χρη, quàm ἀνεπιβεβαιωτέα incerta proferre: nam, ut inquit Thophyl. ἡ ἡγεμονία τῶν μαγῶν ἔστι ἐξ ἐπινοίας: & detestanda est impietas hominum quorundam superstitionibus deditorum, qui Magorum & Pastorum nominibus contra morsus serpentum abuti consueverunt, quemadmodum id ex autore quodam Græco citat Casaubonus. Exerc. 2. §. 10.

De

X. De tempore quoq³, quo Magi Bethlehem venerint, non eadem est parum opinio. Epiphanius Her. 51. putat exacto demum biennio eos ad adorandum Christum venisse, & cum eo consentit Beza. Idem Annot. in etiam videtur sentire autor oper. Imp. in d. l. Matth. qui traditionem seu potius fabulam hac hom. 2. de re ex autore, ut ipse fatetur, apochrypho multis recenset. Hujus opinionis precipuum est fundamentum, quod Herodes infantes occidi jusserit à bimatu & infra juxta tempus, quod exquisiverat à Magis: ad hoc varie respondet Dn. Chemnitius, hom. 7. in nos cum Chrystomo in genere dicimus, pavorem ac furorem Herodis pro abundantia cautionis & licentia persecutionis majus etiam tempus indulgisse, ne quis ejus ætatis, aut is potissimum, propter quem alij essent interimendi, effugeret. Matth.

XI. Neq³ etiam omnino absurda videtur illorum conjectura, qui cum Chryst. August. Theophyl. & alijs statuunt, stellam illam, quæ Magis viam in Iudæam præmonstravit longo intervallo Christi natalem præcessisse: cum enim signum fuerit natalis Christi, non debuit simul cum ea, aut post eam primum existere, quippe signum non præsentis, sed rei imminentis est. Et potuerunt ex constitutione stellæ fortassis colligere, ostento illo portendi, regem Iudæorum nasciturum, & natalem ejus in tempus adventus sui incursum: proinde interrogabant, πῶς ἴσθις ὅτι ἐρχομαι βασιλεὺς, quod recens natum significare indicant Græce

lingua periti. Exquisivit autem Herodes à Magis
eam rem, quam sciebant, nempe tempus stellæ, non
eam, quam quærebant, id est, nbi natus esset, quod
disertè indicat Evangelista, v. 7. De nativitate ve-
rò cum nihil certi ex illis potuerit expiscari, juxta
tempus stellæ, quod ab illis exploraverat,
lib. 6. de e- v. 16. pueros à bimatu & infra occidi jubet, non
mend. tem- juxta tempus natalis Christi, quod ignorabat He-
por. rodes. Vide Scaligerum.

XII. Hæc observatio ut est vero non absimilis, sic
hoc certum est & indubitatum, Magos ante puri-
ficationem Mariæ venisse. Primò enim puerum
Iesum in Bethlehem adorarunt, quo Ioseph & Ma-
ria venerant, ut cum alijs gentibus stirpis Davidi-
cæ nomina profiterentur. Lex verò præcipit puer-
peram manere in sanguine suo quadraginta die-
bus, & publico abstinere, proinde nefas ipsi fuit
Luc. 12, 4. hinc discedere, quàm justos dies obierit, & ex Lu-
ca constat, quod, cum perfecissent omnia seundum
legem DEI, reversi sint in Galilæam, neq; un-
Cap. 2, 39. quam leguntur redÿsse in Bethlehem.

XIII. Deinde hoc, quod diximus, confirmat textus.
Nam verba τὸ ἴνστος ἦν ἐν βῆθλεὴμ & innunt, non
Matt. 2, 1. longo post tempore eos venisse, sed statim à nati-
vitate, & hanc esse vim aoristi participij in Græco
sermone annotat Casaub. ut simul denotet cele-
ritatem temporis, atq; ideo Evangelista dicit ἦν
ἐν βῆθλεὴμ, non ἦσαν ἐν βῆθλεὴμ, quorum hoc de per-
fecta jam ante actione, illud de modo perfectâ &
adhuc quasi dependente usurpatur.

XIV. Atq; hæc de Magis: quò verò ducè in Bethle- DE STEL-
hem venerint. ipsi indicant v. 2. vidimus Stel- La.
lam ejus in Oriente. Stella hæc magnifica
fuit cœli lingua, quæ narraret gloria mun-
di, quæ inulatum virginis partum inusi-
tato fulgore clamaret, cui non postea ap-
parenti Evangelium toto orbe succederet,
inquit August. Ser. de Epiph.

XV. An naturalis fuerit, & una ex ijs, quæ
ab initio à DEO create sunt, an verò superna-
turalis, quæri quoq; solet. Naturalem non fuisse
indicant locus, duratio, & motus, neq; enim Chrysof.
in ætherea regione ut ceteræ stellæ, fuit, sed in hom. 6. in
aere terris vicino, aliàs proficiscentibus viam ac Matth.
domum, in qua Christus esset natus, tam accurate Aug. lib. 2.
designare non potuisset: neq; etiam ante vel post contra
apparuit, nec solito stellarum motu circumacta Faust. Fulg
est, sed accommodavit se itineri proficiscentium. homil. de

XVI. Non quidem diffitemur DEUM Opt. Max. Epiph. Da-
facili negotio veram stellam è statione suâ remo- masc. lib. 2.
vere, & ad officia hæc supernaturalia præstanda de fide c. 7.
delegare potuisse, cum autem miracula ex nostro
cerebro citra necessitatem non sint multiplicanda,
statuimus potius non veram fuisse stellam, sed per
similitudinem ita vocatam, quoniam stellæ specie
apparuit, quemadmodum etiam Cometam stellam
appellare solemus, & visiones ignotæ & lucidæ Apoc. 1, 16.
propter speciem & adparentiam in Scriptura sæ- cap. 8, 10.
pè stellæ vocantur.

A 5

XVII.

XVII. De materia autem & conditione ejus nihil
 certi facile quis determinabit. Chrysoſt. contem-
 dit ſtellam omnino non fuiſſe, ſed quandam inviſi-
 bilem virtutem, plenam rationis, in ſpecie ſyderis
 figuratam, cum quo conſentiunt Euthymius &
 Theoph. auctor oper. de mirab. S. S. (a) falſo
 Auguſtino attributi, vel Angelum, vel Spiritum
 S. ſtellæ ſpecie apparuiſſe ſcribit. ſane illorum ſen-
 tentiam, quæ angelum DEI ſpecie ſtellæ præluxiſſe
 Magi ſtatuit, ſicut olim columna ignis populi Iſ-
 raëlitici dux fuit ſimpliciſſimam eſſe, ait Dn.
 Chemnitius, cum ſæpius angeli tanquam flam-
 mularum ignis apparere dicantur. Probabilius tamen
 eſt, fuiſſe eam meteoron aliquod inſolitum, non
 naturali, ſed divinâ virtute ex materia ſubcœleſti
 & aerea in loco acris humili conſtatam, quod non
 ſua vi, ſed vel angeli alicujus, vel DEI Opt. Max.
 regimine ferebatur.

XIX. Stellam verò hanc toto itinere Magos præ-
 viſſe placet Chryſoſtomo, putat enim uſq; ad
 Palaſtinam quaſi itineris ducem ſemper apparuiſ-
 ſe, & prope Hieroſolymam ſeſe abſcondiſſe, ac vi-
 ciſſim inde egreſſus ad Bethlehẽm præluxiſſe. Con-
 trarium autem ſuadet autor operis de mirab.
 ſacræ Scripturæ, atq; ex textu quoq; colligi poſ-
 ſe videtur.

XIX. Hac ſtellâ ducem voluit Deus Magos ad Chri-
 ſtum venire: cum enim rerum Astrologicarum eſ-
 ſent ſtudioſiſſimi, reliqua omnia præterijt reme-
 dia, & per ea illos vocat, quæ familiaria
 ipsis

ipsis consuetudo faciebat, mirâ quâdam dispensatione pietatis ad hominum condescendens salutem, ut inquit Chrysof.

XX. Difficile verò dictu est, quomodo ex apparitione hujus stellæ colligere potuerint regem Iudæorum esse natum, & quidem adeo firmiter, ut itineri sese accingentes & Hierosolimam venientes, non primùm an esset natus, sed statim ubi esset, absq̃ ullâ hesitatione investigarent. Sane nulla ex solo lumine naturæ aut principijs ex ratione deductis consequentia hoc ipsis potuit suadere: neque enim sequitur, stella præternaturalis & ante hac non visa apparuit. Ergo Messias natus est. Neq̃ tamen in contrarium ita deflectimus, ut errorem eorum nostrum faciamus, qui opinantur nihil Magis constitisse de Christo futuro Messia, sed ex apparitione stellæ regem quendam politicu sibi imaginatos fuisse, cujus benevolentiam & favorem externâ adoratione & muneribus in tempore voluerint sibi conciliare, cum potiùs perturbatio Herodis ac populi, potestas viventis adhuc tyranni, nec non vilis in vili diversorio nativitas dubitandi de rege occasionem præbere potuissent? Extrinseca nuda erant omnia & egena, nihil ibi regium corporeis oculis occurrit, & quem tamen in tanta paupertate viderunt, regem agnoverunt. Videlicet alios perspicatiores fidei oculos extraordinariâ & immediatâ divinitus adjuti revelatione, intus deprehenderunt, quibus in paupere apparatu & parvo corpusculo regiam divinamq̃ majestatem, quasi

Hom. 6.
iv. Matth.

quasi lucem intra laternam aut Solem intra nubem tatemem conspexerunt.

XXI. Neq³ etiam prorsus promissionum de futuro Messia Magi creduntur fuisse ignari. Unanimis enim serè patrum est consensus, eos ex posteritate Balaami originem duxisse, & vaticinium ejus traditione conservatum tenuisse, quod legitur Numer. 24, 17. Orietur stella ex Jacob, & con-
surget virga de Israel &c. atq³ ubi exortam novam & insolitam viderint stellam memores istius oraculi intellexisse, eam esse judicem iam nati Messie. Verùm cum stella ex Jacob oriunda non tam illam quæ Magis conspicuam se præbuit, quàm ipsum Christum, (quippe qui Oriens ex alto, Luc. 1, 78. & Stella matutina, Apoc. 22, 7. appellatur) demonstret, multò est vero similis d-
cere, scripta Danielis aliorumq³ Prophetarum, à captivitate Babylonicâ apud Persas fideliter fuisse asservata, & ex eorum lectione Magos de Messia edoctos, ubi novam stellam exortam animadvert-
terint: non enim tantum in populo Iudaico, sed apud alias quoq³ gentes extitisse biblia & legi so-
lita argumento est Eunuchus reginæ Candaces.
Act. 8. 28. Et de Daniele non dubitamus, quin Magis, in quo-
Daniel. 1. rum schola eductus est, doctrinam de Messia pro-
v. 16. posuerit, atq³ ejus seminaria inter ipsos non vul-
garia post se reliquerit. Tria igitur ad conversio-
nem Magorum potuerunt concurrisse, 1. lumen
nature, 2. supernaturalis DEI ex alto illuminatio,
& 3. institutio Danielis traditione patrum ad
ipsum

ipſos derivata, cum adjunctâ Prophetarum lectio-
ne, ſi qui ad eorum manus pervenerint.

XXII. Hiſ impulſi Hieroſolymam veniunt, quæ-
rentes id, quod Iudæi putabant non incognitum,
ubi natus eſſet rex ille, (ut articulus indicat)
Judæorum, tam diu promiſſus & expectatus,
quod audiens Herodes tanquam æmulus con-
tremuit, timebat enim ne à nato rege vel ipſe re-
gno pelleretur, vel filij ſucceſſione privarentur.

Neg, tantum rex, ſed & tota Hieroſolyma
cum eo turbata eſt, aut timore forſitan Roma-
norum, aut quod metuerent, ne forte Herodes ira-
tus Iudaico regi genus ejus vexaret. Nam quem-
admodum certantibus ventis mare concu-
ritur, ſic regibus adverſantibus ſibi, popu-
lus regni vexatur, inquit autor oper. imp. in

Hrm. 2.

Matth. Nihilo tamen minus ſibi ac rebus ſuis con-
ſultis fore putabat rex, exquirere locum nativi-
tati hujus regis præſinitum: convocans itaq; con-
cilium quæſtionem proponit Pontificibus ac ſcri-
bis, ubi Chriſtus eſſet naſciturus, qui licet verita-
tis inimici, pro veritate coguntur legere literas, &

Mich. 5, 2.

Prophetiam de Chriſto neſcientibus interpretari,
reſpondent itaq; locum fore civitatem Bethlehem:
Voluit DEUS, inquit Auguſtinus, hoc à Ju-
dæis inquireri, ut dum oſtendunt, in quem
non credunt, ipſâ ſuâ demonstratione
damnentur.

Ser. de di-
verſis 67.

XXIII. Obiter hîc notetur forma conciliorum in
Eccleſia Iſraelitica: Herodes utpote magiſtratus
ſupre-

2. Par. 30, 1.

2. Reg. 23, 1.

Supremus exemplo Ezechie & Ioseph convocat Pontifices & Scribas, tanquam capita ministerij Ecclesiastici, usq; proponit questionem, quam non auctoritate pratoriâ, neq; ex suo cerebro, sed ex verbo DEI definiunt, & quidem monstrato ejus loco. Utinam semper in Ecclesia ad exemplum hujus instituta fuissent, concilia minus litigij foret inter nos & Pontificios, soli Papæ omnimodam attribuentes auctoritatem & jurisdictionem, majorq; quotidie veritati fieret accessio.

De Adoratione.

Calv. in Evangel.

Can. 8.

XXIV. Peracto concilio Magos ad se vocari jubet Herodes, & locum ipsis indicat, quo nuncio leti ac alacres in Bethlehem venerunt, & intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, prostratique adoraverunt eum. Adoratio hac non fuit merè politica, ut cum Calvinio statuunt ejus asseclæ, sed simul religiosa: nondum enim amplius lateat Magos, puerum hunc non hominem solum, sed & naturâ DEUM esse, proinde non quasi homini tantum, sed etiam DEO auctori omnium supplicarunt bonorum. Videat itaq; Lambert. Danaeus, quo pacto sese ab hac impietate voluerit vindicare, quando inquit, carnem Christi simpliciter, non esse objectum veræ adorationis, imò maledictum pronunciat, qui carnem Christi quantumvis in unione consideratam, adoraret. Nobis sanctior est sacræ Scripturæ auctoritas. Philip. 2, 9. & unanimis Patrum consensus: Cyrillus Synodusque Ephesina in h. m. Si quis audet dicere,

dicere, assumptum hominem coadorandum DEO
verbo, ac non potius unâ adoratione veneratur
Immanuelem, unamq; glorificationem ei depen-
dit, secundum quod verbū caro factum est, anathe-
ma sit. Similia vide apud Athanasium (a),
Chrysostrum (b), Augustinum (c), & Da-
mascenum (d) & alios.

XXV. Ex more quoq; Patriæ suæ obtulerunt Magi
munera non vulgaria, sed quæ in summâ apud
ipsum erant existimatione, aurum videlicet, Thus &
Myrrham: nam non poterat quinquâ reges Parthos
salutare sine munere, inquit Seneca Ep. 17. In his
autem mysticam quandam interpretationem non
minus pie quam eleganter ostendunt Patres, quam
Poeta Christianus Juvencus hoc versu expressit;

Thus, aurum, myrrham regiq; homi-
niq; Deoq;
Dona ferunt.

XXVI. Insignem nobis hæc, quæ hucusq; tracta-
vimus, præbent meditationem practicam. 1. do-
cemur, DEum non tantum Judæorum, sed
& gentium esse DEum: quamvis enim in pecu-
lium sibi elegerat populum Iudaicum, nulli etiam
nationi taliter fecerit, simpliciter tamen gentes
non rejecit, sed semper ex ijs quosdam ad Ecclesiæ
gremium vocavit, utpote, ex Edomitis Job. (a), ex
Midianitis Jethro (b), ex Moabitis Ruth, Ca-
naanais Rahab, Assyrijs Ninivitas, In N. T. verò

(a) de in-
carnat. (b)
hom. 5. su-
per. Ep. ad
Hebr. (c)
serm. 58. de
verb. Dom.
(d) de fide
orthod. lib.
lib. 4. c. 3.


Medita-
tio pra-
ctica.
Rom. 3, 29.
(a) Iob. 1.
(b) Exod.
18.
infi-


infinita hujus extant exempla, ut ita non immerito Christus vocetur Expectatio Gentium, Gen. 49, 10. & Lux gentium, Luc. 2, 32.

XXVII. 2. Exemplo horum Magorum omnem ex animis nostris excutiamus torporem, surgamus mane & quaeramus Dominum, & quemadmodum illi, nisi procul propriam regionem reliquissent, nequaquam Christum videre potuissent, sic nos quoque a terrenis negocijs & curis recedamus, longo itinere curramus, ut ipsum videre possimus: & sicut illis stella dux fuit ad Christum, sic nobis verbum Dei lucerna sit, & facem praeferat viae ad veritatem & vitam ducentis aeternam: neque appareamus in conspectu Domini vacui, sed offeramus ipsi 1. nos ipsos in obsequia sancta carnem nostram crucifigendo, omnes animae cupiditates divini amoris gladio abscindendo, & intellectum ac voluntatem ad res coelestes & aeternas elevando, 2. preces nostras odoramenta suavitatis, 3. facultates nostras, elargiendo ex ijs pauperibus, quantum fieri poterit.

XXIII X. 3. Invictum nobis argumentum est propria Iudaeorum confessio, Messiam dudum venisse, Certum enim est, civitatem Bethlehemi, in qua ex Michae nasciturum Christum ostendunt, jam pridem funditus eversam & in cineres redactam, ac per consequens, impossibile esse, ut inde amplius expectari possit. Plura addere chartae penuria vetat.

F I N I S.





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

...GIAS SACRÆ
 ...gesima Septima,
 De
TU MAGO.
 CULTU AB
 ÆSTITO.
 ...
 ... Θεαυρωπω
 RESIDIO
 ARIS MEISNERI
 l. D. & P. P.
 ...io ad disputandum
 ...ponit.
 ES CONRING
 SIUS.
 ...em 19. Junij, boris
 ...idianis
 ...rio minori.
 BERGÆ
 ...ormann excudebat,
 Is. CXIX.

